

**Regiae Academiae Kiloniensis Prorektor Et Senatvs Civibvs Svis : [P. P. Kiliae,
sub sigillo Academiae, d. XXXI. Aug. MDCCLXXXX.]**

[Kiel], [MDCCLXXXX.]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn172742414X>

Druck Freier  Zugang



Kiel

1701.

D. II. 2.

1550.



Lf II 2
9550

REGIAE
ACADEMIAE KILONIENSIS
PRORECTOR
ET
SENATUS
CIVIBVS SVIS.

Concentu musico ante fores Professoribus et
Doctoribus Vestris, Ciues, aliisque, qui-
bus bene cupitis, pietatem aut obseruantiam testa-
ri, quod hucusque subinde instituistis, in se qui-
dem innocuum et honestum censeri potest. Atta-
men, quae est rerum humanarum vicissitudo, vt,
quae per se innocua sunt, abusu noxia fiant, in
hac etiam re saepius et nuper admodum apparuit.
Namque occasione istiusmodi sollemnitatis rixas
exortas esse nostis, quae pugnae, imo vulneribus
grauioribus, ansam praebuerunt, et nos in legum
violatores animaduertere coegerunt. Ne igitur
hac ipsa re in posterum aliquid detrimenti capiat
res publica, aut, spei nostrae et patriae expecta-

tionis, iuuenum curae nostrae commissorum inco-
lunitas et vita in discrimen incidat, in remedium
adferimus hoc ipsum interdictum nostrum, et,
quod iam antea publicis edictis cautum est, vt ne-
mini vestrum, vel pompam sollemnem ducere, vel
concentu musico ante fores, siue Prorectorem, siue
Professores, siue Commilitones vestros, siue alium
quemcunque honorare liceat, nisi impetrato prius
Magistratus Academici consensu, non nisi rarissi-
me et suadentibus grauioribus caussis, atque ipsius
Senatus Academici pleni auctoritate, impertiendo,
vobis significamus. Qui secus fecerit, paternae
nostrae admonitionis immemor, sibimetipsi impu-
tet, si quid grauius in ipsum statuatur.

P. P. Kiliae, sub sigillo Academiae, d. XXXI
Aug. 1600 LXXXX.




F. C. Iensen.

M. G. Trede.

A. Bode
Buchbinderei
Schwerin i. M.





Landesbibliothek
Mecklenburg-Vorpommern
Günther Uecker

http://purl.uni-rostock.de/rostdok/ppn172742414X/phys_0006

DFG

ris studiosi ius publicum familiarissimum sibi red-
dant non particulare solum verum etiam vniuersale
aeque ac ius gentium & quicquid doctrinarum cu-
iusuis muneris publici in dicasteriis & collegiis pro-
vinciarum Regia auctoritate constitutis subeundi
caussa vel omnino necessarium vel apprime vtile
est, quorsum spectant Historia iuris, ars interpre-
tandi leges, quam Hermeneuticam iuris vocant, ius
feudale, Processus imperii romano germanici, Phy-
sica etiam & Historia naturalis, cet. Etenim ne-
mo, nisi superato hoc examine academico, ad exa-
mina supremi dicasterii vel Slesuicensis vel Glück-
stadiensis admittendus est. Quemadmodum Plato
scholae, quam in Academia habuit, philosophicae
inscripsit: nemo Geometriae ignarus accedat, ita
Rex noster Augustissimus nemini sacra Themidis
adeunda esse existimat, nisi omnibus illis doctrinis
erudito, sine quibus iuris studium, vulgaris opificii
instar, scientiae nomen tueri non potest.

His instructi praesidiis quum habeant non so-
lum quo vitam commode sustentare valent, verum
etiam quo viam sibi pandunt ad honores amplissi-
mos, & quod longe maius & praestantius est, Su-
premi

